Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31247
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



nostre pendet arbitrio Quo enim affectu hunc fra
trem et hanc matrem amare debemus Qua famili
aritate illis nos committemus Qua securitate ad
illos confugiemus Qua dulcedine confugientes
suscipiemur Bonus igitur frater dimittat nobis
quod delinquimus Ipse auertat quod delinquentes
meruimus Ipse donet quod penitentes optamus
Bona mater oret et exoret pro nobis Ipsa postulet
et impetret quod expedit nobis Ipsa roget filium
pro filijs vnigenitum pro adoptiuis dominum pro seruis
Benedictus filius audiat matrem pro fratribus vnigeni
tus pro hijs quos adoptauit dominus pro hijs quos
liberauit O maria quantum tibi debemus domina
et mater per quam talem fratrem habemus Quid gratiarum
quid laudis tibi retribuemus magne domine
tu nostra maior frater Magna domina tu nostra melior ma
ter docete cor meum qua reuerencia nos debeat reco
gitare Bone tu et bona tu dulces ambo docete et
date anime mee quo affectu uos memorando de uo
bis delectetur delectando iocundetur iocundando in
pugnetur ut uestro amore langueat cor meum li
quescat anima mea defficiat caro mea ut sic uiscera
anime mee dulci feruore uestre dilectionis exardes
cant et intima cordis mei dulcedine uestri affectus
impinguetur et medulle corporis mei exsiccentur
Veneretur igitur uos sicut digni estis mens
mea amet uos sicut equum est cor meum diligat
uos sicut expedit anima mea seruiat uobis si
cut debet caro mea et in hoc consumetur uita mea
ut in eternum psallat uobis tota mea substan
cia Benedictus dominus in eternum fiat fiat Amen

O Intemerata et in eternum benedicta spiritua
lis et incomparabilis virgo dei genitrix
Maria gratissimum dei templum sacra